



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia

Roberti, Johannes

Leodii, 1632

Aaron Sacerdos Magnvs, Aegyptivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45032

A A R O N
S A C E R D O S M A G N U S,
A E G Y P T I V S.

A S S E R T I O I V R I S P E R.

Moyſes, in Montem aſcenuſurus, Exod.
24. v. 14. Habetis AARON, & Hur
vobiscum: ſi quid natum fuerit QVÆ-
STIONIS, referetis ad eos.

QVantus hic eſt? dicat is, qui tantum
illum fecit, & qui nos ſcire, & ad-
mirari voluit, dum ita de eo prædicat,
Eccli. 45. v. 8. Statuit ei teſtamentum æ-
ternum, & dedit illi Sacerdotium Gentis, &
beatificavit illum in gloriâ, & circumcinxit
eum zonâ gloriæ, & induit eum ſtolam glo-
riæ, & coronavit eum in vaſis virtutis. Fa-
ctum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſe-
mini eius ſicut dies cæli, fungi Sacerdotio, &
habere laudem, & glorificare populum ſuum
in nomine eius. Ipſum elegit ab omni viuen-
te, offerre Sacrificium DEO, incenſum, &
bonum odorem, in memoriam placare pro po-
pulo ſuo: & dedit illi in præceptis ſuis poteſta-
tem, in teſtamenti iudiciorum, docere Iacob

testimonia, & in lege suâ lucem dare Israël.

Addam pauca, quæ sparsum legimus in libris Moyſis, Fratris eius.

Hoc ipsum quantum est, Fratrem esse illius magni amici DEI? & quidem, cum esset i. lo, toto triennio senior, totos 38. annos, tantâ illi demissione subijci, fuit certè ostendere se magnum in humilitate suâ. Maius fortassis hoc ijs, quæ iam indicamus, etsi omnino maxima.

Fuit igitur hic Moyſis interpres, & Adiutor in prodigijs illis patrandis, cuiusmodi à condito Orbe, nunquam audita. Huius Virga in Draconem versa, ignavos Magorum colubros deuorauit: atque postea, eadem, tamquam de hostibus deuictis, florens triumphauit.

Hic aquas in sanguinem mutauit, puluerem in sciniphes, rupem in fontes, & stagna aquarum.

Hic ex paludibus, exercitus, & aggeres eduxit importunissimarû ranarum. Hic è cælo, iâ saxa grandinatim euocauit: iam ignes, iam aquas agminatim excussit.

Hic maria diuisit, aggestis vtrimque aqua-

aqua-

aquarum montibus, inter quos ficco vestigio transijt exercitus piorum, haustus impiorum.

Hic duorum Filiorum acerba funera, vno momento vidit, & constans, tacitusque perpeffus est.

Denique hic ille est Aaron, qui cum tot annos, tanta fecisset; tam acerba à durissimæ cervicis Populo, tantâ æquitate animi tulisset; toties pro malis, bona re- pendisset: iam in ipso ferè limine Terræ illius promissæ, ad quam annos plurimos anhelauerat, vnam ob culpam, humanitus admissam, ab illâ excluditur; imò & ab ipsâ vitâ, dum DEI iussis lubens, lætusque cedit, & iussus mori (ô Heroem!) emoritur. Vidit aliàs hauriri ab incendio, impios & ingemuit; ignes medios ipse ingressus est, & thus obtulit, vt quos posset, eriperet: ipse à morte hauriendus, tamquam nihil hoc ad eum attineret, Montem, in quo carne exuendus erat, intrepidus ascendit, & ex eo nunquam descendit.

Obijt Anno Mundi 2583. Ante Christum 1470.
Ætatis 123. 1. Iulij.